

Boehmer Trag. 1798 nr. 1^d ist hinter } eingeklammert.
1798 nr. 4^b statt " "
" nr. 7^c



26

DE
PRETIO RERVM FVRTO ABLATARVM
RITE CONSTITVENDO

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

QVAM
PRO SVMMIS

IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQUENDIS

SINE PRAESIDE

QVAE EST
SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS GRATIA

DIE XXVI. NOVEMBR. MDCCCLXXXVIII

H. L. Q. C

PVLICE DEFENSVRVS EST

AVCTOR ET RESPONDENS

C A R O L V S K L I E N

IVRIVM CANDIDATVS ET NOTARIVS PUBLICVS CAESAREVS
IMMATRICVLATVS

VITE BERGAE
LITERIS TZ SCHIEDRICHII

RESTITO REIAMI FARTO AB ALVATRARI
NIT CONSISTIT AENDO

ALVATRARI TRAIACUM ET NINUS

ET CANT

HIS SAVMIS

IN ALVOCATE LIBRAE HONORIBVS

LIT DE COVETOSANIS

SIN TERRANIS

ET CANT

ALVOCATE LIBRAE HONORIBVS CANT

DE ZEUS NOEMVS MOCOTZELA

ET CANT

ALVOCATE LIBRAE HONORIBVS

ALVOCATE LIBRAE HONORIBVS

CANTOVS ETC

ALVOCATE LIBRAE HONORIBVS

ET CANT

ALVOCATE LIBRAE HONORIBVS

ALVOCATE LIBRAE HONORIBVS

ET CANT

V I R O
IVRIVM CONSULTISSIMO EXCELLENTISSIMO
AMPLISSIMO
CAROLO GOTTLIEB KUEHN
SUPREMI CONSISTORII ELECTORALIS
SECRETARIO

NEC NON

V I R O
PLVRIMVM REVERENDO
PHILIPPO AVGVSTO KLIEN
PASTORI NEOSTADIENSIS
COGNATIS SVMMA PIETATE COLENDIS

HOC

PRIMVM DILIGENTIAE ACADEMICA SPECIMEN
PVBLICVM

D. D. D.

Y I R O
INTERMEDIIS ALIIS QVATRUM
INTERCANTISSIMO
CAROLO GOTLIBE RUENI
VITAM AD SEROS VSQVE ANNOS INCOLVMEM

SECUNDISSIMISQUE REBUS QVIBVSVIS ABVNDE LAETAM

Y I R O
PHILIPPO MAGASZO KLIEN
SVMMAM ANIMI RELIGIONE APPRECATVR

CAROLVS KLIEN

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

C A R O L V S K L I E N



S. I.

Instituti ratio.

Numerus quidem scriptorum ad doctrinam de furto spectantium tam ingens extat, ut noua eius disquisitio profecto superflua videri possit. Attamen illorum magnam scriptorum partem perlegens, ne nullum quidem inueni, quod varios modos, quibus iustum rei furto ablatae pretium constitui ac erui debeat, satis accurate explicaret. Nihilominus vero huius quoque rei disquisitio, per se satis impedita et difficilis, maximi est momenti. Poena enim furis, pretio rerum furto simplici ablatarum praecipue applicanda, maximam in eo perscrutando prudentiam adhibere iubet, ne alter poena iusto grauiori, alter leniori coereatur. Occasione igitur libellum quendam componendi suppeditata, hanc rem uberiori exponere, operae pretium esse putavi. Quamvis enim me non fugiat, imbecillitatem virium mearum atque aetatem fere iuvenilem ad per magna, quae in hac doctrina obueniant dubia dissoluenda, tantisque lites componendas minus idoneam esse, omni tamen ope atque opera enitar, ut, quae mihi ingenii acumine

A

— 2 —

et experientiae copia desint, ardentiori diligentia atque studio veritatem eruendi sanctiori suppleam. Sic, Tibi, Lector Benebole, modestia, qua decet, trado hunc libellum, primum diligentiae meae academicæ specimen publicum, sperans, fore, ut, quae Tibi minus probentur, forte excuses.

§. 2.

De furti simplicis notione.

Ne quis autem omissa furti definitione, cum multis difficultibus coniuncta, me vituperet, mihiique CICERONIS illud,¹⁾ omnem disputationem a definitione esse incipienda obiciat, quia omnis disputatio de furto futura est, eius notionem breuiter praemittere iuuat. Evidem crimen, quo quis rem alienam mobilem, inuitu posseffore, ex eius custodia animo lucri faciendi, nec rem domino restituendi, absque periculo personae possefforis imminente, anfert, furtum simplex esse puto. Inuitu posseffore, inquam, non ut alii, sed meo saltim arbitrio, minus accurate malunt, inuitu domino.²⁾ Farto enim commisso rei proprietas, cuius vindicatio domino semper salua manet, non eripitur, sed posseffor tantummodo ex posseffione tam naturali quam ciuili elicitur;³⁾ hinc quidem plerunque furtum inuitu domino fieri solet,

1) De Officiis, Lib. I. Cap. 2.

2) MEISTER in Princip. iur. criminal. S. 1. P. 2. C. 13. §. 164. PÜTTMANN in Element. iur. crim. L. 1. C. 28. § 420. QVISTORP Grundsätze des deutsch. peinl. Rechts, Tom. I. §. 341.

3) L. 47. D. de acquir. vel amittend. posseff. CUPER in Observat. select. de natura posseffionis, P. 2. §. 121. KLEINSCHRODS Abhandl. aus d. peinl. Rechte, Th. 1. Abb. 8.

quippe quod dominium ius possidendi complectatur, atque rem e custodia domini auferens, iura eius simul laedit: at vero domino non possidente obuenire potest, vt eo non inuito rem cripiens, furtum nihilominus committat. Finge enim, testatorem quandam CAIO proprietatem annuli legasse, TITIO vero usum, ea tamen sub condicione, vt simulac annulum furto rapere sineret, non solum damnum, re ipsa non recuperata, proprietario resarciret, sed etiam, licet annulus restitueretur, quasi in negligentiae poenam usum statim amitteret. Iam TITII aedes fur ingreditur, scrutinium effringit, annulum rapit. Vix autem domum reliquit, clamor excitatur, homines somno excutuntur, furem persequuntur et annulum furto iam ablatum recipiunt. Quid, quaeſo, num hoc furtum inuito domino perpetratum esse dici possit. Huic illud exoptatissimum est, nam prius annuli sit possessor, quam exspectare poterat atque utilitatem exinde percipit, casu quidem, attamen licito modo. Idem erit dicendum, vi alio adhuc exemplo rem perillustrem, *si quis alteri furtum fecerit, et id, quod subripuit, alias ab eo furatus est.*⁴⁾ Quamquam enim hic sine dubio furtum commisit, vix tamen, inuito domino suscepit esse, affirmari potest; eius enim nullo modo interest, virum hic an ille fur rem possideat, quin, sure posteriori priori fortasse minus callido, detecto, et dominis ad iura sua persequenda conuocatis, rem furtiuam, laetus, crimen per aliud crimen esse detectum, vindicabit. Sed, vt definitio furti a me exposita ex omni parte sit firma, verba: *nec antmo rem restituendi, adieci.* Qui enim possessori, licet inuito, rem, eo

A 2

4) L. 76. §. 1. D. de furtis. QVISTORI l. c. §. 344.

consilio, ut domino redderet, abstulit, furtum, dominus consentiat nec ne, non commisit. Partim enim animus lucri faciendi plerumque deficit, partim etiamsi adsit, ablato consilio rem domino restituendi facta, ipsi furti naturae omnino contradicit. Ut vero tandem furtum simplex a qualificato satis differat, dixi adhuc: *absque periculo personae possessoris imminentia.* Vocabulum *clam* enim, quo plerique in furtu definiendo vtuntur, mihi non sufficit. Si enim furtum perpetretur vidente ac audiente domino, qui tamen metu oppressus non resistit, vel, si fures ianuam aut fenestras estringant, profecto non dici potest, furtum *clam* esse commissum, et nihilominus in utroque causa, iure saltim Saxonico hodierno, obtinet tantum poena furti simplicis. Leges Romanae aliam quidem definitionem suppeditant, atque *contrectationem fraudulosam*⁵⁾ lucri faciendi gratia vel *ipsum rei*, vel etiam *vitus eius possessionis* furtum esse statunt.⁶⁾ Cum vero in Germania ea quoque delicta, quae apud Romanos *priuata* vocabantur, publicis semper sint annumerata, et qua talia poena quoque publica satis graui coereantur,⁷⁾ a iuriis Romani in definiendo furti rigore plane recedimus, qua de causa difficultates, quibus huius criminis notio iure Romano laborat, mittens,⁸⁾ ad finem proprius iam progredior.

5) Ut differat a rapina, quam contrectationem rei violeniam esse dicunt. L. 2. §. 24. D. vi honor. rapt. Proem. Instit. de vi honor. rapt.

6) L. 1. §. 5. D. de furtis.

7) HEINECCI Element. iur. German. T. 2. §. 31. REINHARTH D. de diuersi furti secund. ius Civil. et German. idea, (Eif. 1729).

8) Magna enim lis est exorta inter ICtos de vera notione vocabuli *contrectare*, de qua cfr. BRISSONIUS de verbor. quae ad ius pertinent signi-

De corpore delicti in furto.

Vt in quolibet delicto, ita in furto quoque duae quaestiones, vtrum
nempe, et a quo, delictum sit commissum, eruere, iudicis officium
est; siue, vt aliis verbis utar, in quoconque crimine, antequam ad
poenam infligendam index progrederi potuerit, de corpore¹⁾ et aucto-
re delicti fatis constare debet. Quamuis enim in furto simplici,
quippe quod secundum usum fori Saxonum ultimo suppicio non
amplius coercetur, non omnes eae res ad corpus delicti constituen-
dum requirantur, quas olim necessarias habebant, de facto tamen

ficiat. Lib. 19. sub voce: *correctare*. VICAT vocabul. iur. vtriusque,
Tom. I. sub eod. vocab. THEOPHILVS in Paraphrasi I. ad Titul. de usu
cap. STRUBEN in rechtl. Bedenken, Tom. 4 n. 91. CARPOV. Pract.
rer. criminal. P. 2. Quaest. 88. 4 seqq. HOMMEL Rhapf. Obs. 32.
DE HERTLEIN D. de furti vere talis notis characteristicis, (Wirceburi
1792); vnde postea lis illi adfinis, quando furtum sit consummatum? in
fora nostra irrexit. Nos eos sequimur, qui, quod tam ex legibus, tum
ex ipsis delicti natura fluere videtur, contendunt, furtum eo in momen-
to esse consummatum, quo fur lucri animo irritatus rem in suam rede-
git potestatem. L. 5. §. vlt. D. Commod. L. 19. D. de precario. L. 3.
§. 5. D. de adquir. l. amittend. poss. Ill. WIESAND Pr. Licer fur rem
in locum, in quem destinavit, nondum pertulerit, tamen furtum
iam est consummatum.

1) Vnde nomen corporis delicti natum sit, vix colligi potest. ECKARDT in
Progr. de quibusdam cautionibus circa perficiendam corporis delicti
in furto magno certitudinem adhibendis, (lenae 1789) p. i. putat:
Interpretes iuriis criminalis antiquiores delictum animali aequiparasse,
quod consistet in corpore, quatenus nimis sit facti corporei, et ani-
ma, quatenus ad animum delinquendi respiciatur; quae tamen deriuatio
nimis coacta videtur.

certo constare debet. Poenam, si corpus delicti dubium sit, vel plane non obtinere, vel extraordinariam eligi, delicto minus atroci, de quo fortasse tantum constat, idoneam,²⁾ neminem fugit; qua de causa leges quoque, ut index omnem diligentiam ad illud rite et ex omni parte eruendum, adhibeat, praecipiunt,³⁾ ne sceleratus iustae poenae se subducatur. Cum tamen porro vera corporis delicti notione principia hic proponenda nitantur, Icti autem in ea explicanda in variis abeant partes, haec quoque exponatur necesse est. Et quidem alii res ipsa est, in qua delictum perpetratur, aliis circumstantiae, quae crimen comitatae sunt, allis effectus criminis, aliis tandem aliud.⁴⁾

2) Si v. g. quis ab altero vulneratus, mortuus est, at vero, an vulnus necessario mortem attulerit, dubitatur, poena tantum, quam leges iniuriae atroci minantur, reus afficitur.

3) Imprimis in Mand. Sax. d. d. 27. Octobr. 1770. §. 2. et in Mand. Sax. d. d. 30. Apr. 1783. §. 2. vbi legitur: Da hienächst auf die Berichtigung des *Corporis delicti* im peinlichen Processe das Hauptwerk mit beruhet, so hat ein jeder Richter dahin zu sehen, dass er nicht nur, ob, wo und zu welcher Zeit die gerügte That würklich geschehen, genau erforsche, sondern auch, von denen bey Begehung derselben, sowohl vor und nachher vorgefallenen Umständen, und der Veranlassung dazu, auch denen Folgen der That genaue Erkundigung einziehe, nach Beschaffenheit der Umstände und des Verbrechens legale Seßiones und Besichtigungen veranstalte, glaubwürdige Zeugen abhöre, und sonst allen Fleiss und gebührende Sorgfalt anwende, damit nachhero, und besonders bey Abfassung des Endurthels, wegen Gewissheit des *delicti* kein Zweifel übrig bleibe.

4) Peculiaria ea de re scripta BAVERI, HOMMELII, LYSTI, HARNII, TETTONIS, ROMANI, WERNHERI, DE NEUFVILLE, enumerantur in Bibliotheca iurid. Lipeniana edit. nouiss. Tom. I. p. 35. E; his addendi BASTINELLER, BOSE, FRANK aliique, quorum recensum dat de SENCKENBERG

— 7 —
Si vero omnes DD. sententias explorare vellem, nimium a scopo ab-
errarem, hincque omnibus praetermissis, quid ego hac de re sentiam,
prositeri liceat. Evidem vero inter certitudinem corporis delicti,
et corpus delicti ipsum, bene distinguendum esse puto.⁵⁾ Illa enim
est scientia de delicto ipso perpetrato, aliunde quam ex delinquentis conces-
sione hausta, hoc autem factum est, quod ipsum crimen in legibus definiunt
completatur. Sic v. g. in homicidio corpus delicti est vulnus laetale
alteri iniuste illatum, certudo autem corporis delicti efficitur per te-
stes, qui hominem quendam in occisi pectus cultrum infixisse, de-
ponunt, aliquo modo, imprimis autem per sectionem legalem. Quod
vero ad furtum attinet, corpus delicti in ipsa rei alienae dolosa abla-
tione consistit. Cum tamen Iure Saxonico gravitas poenae furi infli-
genda, ut ab initio iamjam monuimus, praecipue ex magnitudine
pretii rei ablatae in furto simplici pendeat, illud ipsum pretium, vel
summa pecuniae interceptae partem corporis delicti constituit.⁶⁾ Alia
enim poena, et secundum constitutiones Electorales, et secundum usum
fisci Saxonicum, cum coercemus, qui plus quam quinquaginta, alia qui
plus quam duodecim thaleros et duod. grossos rapuit, unde patet viram-
que pecuniae summam separatum contineat corpus delicti. Errant igitur,

in Suppl. ad Biblioth. Lipenian. Vol. 2. p. 120. quibus adhuc addas
LEYSERUM Spec. 560. et 598. HEBENSTREIT Pr. de corpore delicti
medici fecantis culpa incerto, (Lipse 1743).

5) Quam sententiam iam defendunt QVISTORF I. c. §. 597. DANZ Sum-
mar. Procell. §. 170. Caeterum cfr. IANI D. an et quantum certudo
corporis delicti in processu criminali necessaria sit, (Lipf. 1737).

6) WESTPHAL Criminalrecht, Anmerk. 131. §. 1.

vel saltem, ut mihi videtur, minus accurate loquuntur, qui solam ablationem, quantitatis pretii ratione non habita, corpus delicti in furto constituere, contendunt. Quae enim sententia, si veritati conueniret, modo ipsa cuiuscunq; rei extra dubium esset ablatio, poenae definiendae sufficeret. Iudex autem, qui de eaflare, contentus, in pretium vel bonorum raptorum quantitatem non inquireret, permagui vitiis accusari posset. Quanam enim poena furem coercere velit, virum poena ergaftuli, an poena trium dierum carceris, penitus a pretii quantitate dependet.⁷⁾ Quae cum ita sint, ad corpus delicti in furto simplici rite erendum partim ablatio, (*die Entwendung*) in genere, partim ablatio certae quantitatis est probanda. Varias autem quæstiones, quae in vero rei ablatoe pretio rite constituendo moueri possunt, iam ex proposito enumerare atque dissoluere studebo.

§. 4.

Ad quodnam tempus in prelio eruendo sit respiciendum?

Fures aut paratam pecuniam, aut alias res mobiles nobis eripiunt, ut vel iis vtantur, vel quod plerumque fieri solet, illis venditis earum pretium in suum usum vertant. Priori casu, pecunia numerata a furibus ablata, nummi secundum valorem, quem habent legalem tempore¹⁾ furti commissi, ratione poenae furi inferendae, aeflimantur,²⁾ haud

7) I. P. S. Lib. 2. Art. 13. Constit. Elect. 32. p. 4.

1) Apud nos ex praescripto Mandato monetarum nouissimo d. d. 14. Maii 1763. Befehl d. d. 3. Oct. 1763.

2) Iure Germanico, et olim quoque iure Saxonico ob. Constit. Elector. 32. p. 4. Iis inter idos grauissima fuit de computatione quinque florenorum,

haud computato eo, quod abusu forte commerciorum illis accedat, vulgoque hyperocha (Agio) appelletur. Restitutio autem in eodem genere, quod raptum, si de eo satis constet, iure stricto est praestanda. Laetus enim ne obolo quidem ob alterius delictum carere debet, quod fieret, si, solutione in viliori monetae genere facta, e iudicio abiret. Si vero genus monetae furto ablatae, tempore, quo crimen inquiritur, non amplius exter, lege nummaria mutata, aequa ac in mutuo ad tempus furti commissi et ad valorem numitorum internum, tum in poena constituenda, tum in damni dati restitutione est respiciendum. Hinc, cum nummi, durante bello septuenni ponderis iusto vilioris eius, iterum reprobati essent, dicasteria quoque verum eorum valorem in poena furti dictitanda obseruarunt, immo fures, qui triginta thaleros eiusdem monetae generis abstulerant, ne tunc quidein temporis, quo nondum fuit diminutus eius valor, capitibus condemnarunt.³⁾ Contra quoque, furto, tempore, quo argenti marcam ad tredecim thaleros et octo grossos ferimus, commisso, ablationis huius summae accusatus, ea tantum poena, quam leges huius quantitatis furibus minantur, coerceri posse, etiam si interea per conclusum imperii constitutum esset, ut marca argenti in posterum ad quindecim

quorum C. C. C. Art. 160. mentionem facit, quae vero per Mand. Elekt. Saxon. de 1719. verbis: Wir wollen auch nicht weniger die gemeinen und Haussdiebe, wenn sie so viel, als das in Unserer 32. Constitution, Part. 4. gesetzte Quantum beträgt, welches wir hiermit, um gleichfalls allen Scrupel mit Ausrechnung des Werths derer besten Ungarischen Gilden zu vermeiden, auf 12 thlr. 12 gl. courr. determiniret etc. decisa est.

3) de BOEHMER Meditat. in C. C. C. ad Art. 160. §. 5.

thaleros cuderetur, restitueret tamen quindecim thaleros nouae monetae. Mercibus autem a furibus interceptis, ratione temporis, ad quod in pretio earum constituendo recurrentum est, Ius Romanum conditionem furorum iure nostro deteriorem reddit. Disponit enim, ⁴⁾ aestimationem quidem, pretio rei post furtum perpetratum diminuto, ad tempus, quo commissum sit, referri posse; at quoque rem, si postea pretiosior facta sit, secundum illud maius pretium aestimare permittit, immo actionem in duplum et quadruplum contra furem concedit tanti, quanti res post crimen consummatum apud eum unquam plurimi fuerit. Quid enim tam ridiculum esset, ait CELSVS, quam meliorem furis conditionem esse propter continuationem furti existimare. Iure autem hodierno haec Romanorum principia non amplius fecuti, ad verum pretium, quod res tempore furti suscepit habuit, respicimus, ⁵⁾ sine discriminē, utrum for maiorem an minorem, an plane nullam utilitatem ex furto percepit, ⁶⁾ modo animus lucri faciendi adfuerit; nec poenam furi infligendam ob dampnum tertii fortuitum augemus, quia partim tum Ius Civile, tum Ius Canonicum, poenas interpretatione legum magis molliendas quam asperandas esse, caute disponit.

4) L. 50. pr. et L. 67. §. 2. D. de furtis.

5) QVISTORF. §. 353. PYETTMANN. § 425. HANTELmann D. de eo, quod iustum est circa restitutionem rerum furtuarum, (Ien. 1726). RIVINVS in D. de iure vitae et necis in furem, contendit, in pretio rerum furto ablatarum computando, non tam ad tempus, quo crimen commissum, quam ad id, quo sententia lata sit, respiciendum esse; cuius tamen opinio neque satis probata, neque in foro recepta est.

6) C. C. C. Art. 150. Constit. Elest. 32. p. 4. CARPZOV. Praest. Rer. Crim. P. 2. Quaest. 78. §. 52 lqq.

nunt, 7) partim illud damnum tertio illatum non immediate ex furto
perpetrato flabit; damnum vero, mediate alicui per fortum datum, in
poena definienda non computandum est. 8) At vero quaeritur adhuc,
quid de furto mercium mercatori factō sit statuendum? Nonnulli
quidem, HOMMELI 9) auctoritate ducti, censent, pretium quo merces
ille emit, non vero, quo, furto non commisso, vendere potuisse, com-
putandum esse. Sed, saltim si ad restitutionem respicias, huic sen-
tentiae non faueo. Evidem enim nullam intelligo rationem, cuius
gratia ob delictum ab altero commissum, alteri iustum ac legitimum
lucrum detrahi possit? nec quoque obstat, de certo ac iusto pretio,
quo merces vendi potuissent, non constare, cum lucrum ex mercatura
sperandum maxime variet, immo mercatores saepissime nimis care
vendant, hincque iniustum lucrum, ne a reo quidem resarcendum,
percipient. Hoc enim restituendum esse, non contendo. Detrimen-
tum autem, quod mercator reuera passus est, iustas nempe viuras,
quas pecunia alio modo, quam in emendis mercibus collocata, ad-
quirere potuisse, nec non expensas in illis comparandis et conseruan-
dis iam erogatas merito repetit. Si igitur res ablatae sint promerca-
ties, quarum pretium certum, quamvis temporarium sit, secundum
valorem, quo furti tempore commissi in foro vendebantur, *(nach dem)*

B 2

7) L. 42. D. de poenis. C. 49. de reg. iur. in 6to.

8) DE BOERMER loc. cit. WERNHER P. 9. Obs. 71. DORNS peinl. Recht,
Tom. I. §. 406. BERGERI Electa iur. criminal. p. 42. Idem in Oecon.
Iur. Lib. 3. Tit. 9. thes. 3.

9) In Rhaps. Obs. 86.

damahlichen Marktpreise), tum in poena infligenda, tum in pretio restituendo, recte aestimantur. Cum enim hoc in casu de certo rei ablatae pretio tempore furti commissi inter omnes constet, ipseque fur, poenam, quae ei, crimen detecto, imminet, praeuidere ac sibi ipsi quasi dictitare possit, nulla adest ratio, cur ad aliud rei pretium in poena furi definienda respiciamus?

§. 5.

An pretium affectionis et singularis interesse attendatur?

Quaestionibus intuitu temporibus explicatis nunc quoque disquirere licet, quid de pretio affectionis, vel eo, quod ex alia causa singulari in rem ablatae cadat, sit statuendum. Pretium affectionis in furto non esse attendendum, communis DD. opinio est,¹⁾ quorum sententiae, si de poena furi inferenda loquuntur, lubenter assentior, eamque in legibus esse fundatam, concedo. Durissimum enim esset, si vitam hominis ac libertatem vindictae laesi relinqueremus, qui ira concitatus, atque opinione, in republica bene constituta omnes fures laqueo iugulando, vel saltim carcere perpetuo puniendo fortasse ductus, de permagno rei ablatae pretio mere excogitato sibi facile persuaderet, idque iureirando assueraret, vt bona sua secura reddat, nec nouus a fure impetus sit metuendus. Sin vero, illam regulam ad rerum ablatarum restitutionem quoque extendendam esse, putent, et furem, re ipsa non amplius extante, ad quoddam affectionis pre-

¹⁾ ERHARD. Handbuch d. Chfl. peinl. Rechts, Tom. I. §. 354. QVISTORF. §. 353. DE BOEHMER ad Art. 160. §. 5.

tiuum nunquam obligatum esse, contendant; de huius opinionis veritate mihi persuadere nequeo, nec, quoniam fundamento nitarur, perspicio. Leges enim iustas singularis in rem amoris causas allegatur, pretium affectionis,²⁾ praevio iudicis arbitrio,³⁾ petere permittunt, si alter rem dolo vel culpa lata corruperit; cur igitur, quaeso, haec legum clarissima dispositio non valeat de rebus furto ablatis, quatenus non de poena publica sed de satisfactione priuata quaeratur? Quid est, quod conditionem spoliati in se iam miseram, deteriorem putemus, quam eius, qui non furtum sed aliud damnum passus est. Profecto, ne argumentum quidem speciosum intelligi potest, quod ad hanc sententiam defendendam invitet; dum loca, quibus illa DD. opinio confidit, de poena publica aperte loquuntur. Eadem quoque sunt dicenda de pretio, quod vocant, singularis interess.⁴⁾ Poenam delinquentis ne exaggeret; sufficiat, si illi, quam leges ob rei ablatae pretium commune minantur, se subiiciat; sed eius restitutionem a reo laesus merito exigit, qui non de lucro intercepto recuperando agit, sed reuera de damno euitando. Caeterum autem nihil refert, quod mihi opponi possit, quaestiones haec tenus exploratas rarissime utilitatem praestare, cum fures plerunque pauperrimi, re ipsa in bonis istorum non amplius inuenta, ne minimum quidem pretium restituere.

2) L. 2. §. 1. L. 5. §. 1, et L. 8. D. de in lietem in iurando.

3) Quod semper secundum usum fori requiritur. KRAVII Tract. Synopt. Proc. Iudic. pag. 172, quamvis obtare videatur L. 68. D. de rei vindicatione.

4) Quod v. g. occurrit, si ex quadrigis albis singuli equi furto sint ablati.

possint, atque laeti, pretio rei communi recuperato, reliquis luben-
ter careant. Non enim agimus, de eo, quod fieri solet, sed de eo,
quod fieri debet, et leges disertis verbis iubent, aut ex earum ana-
logia assumendum est.

§. 6.

*Quomodo pretium sit computandum, fure plus aut minus
quam voluerit auferente.*

Miror, inter omnes scriptores, doctrinae furti operam nauantes, ne
vnum quidem inuenisse, qui questionem, in hac paragrapho a nobis
propositam, tetigisset. Cum vero partim ad rem nostram pertineat,
partim quoque disquisitione accuratori sit digna, de vtroque casu
breuiter disputabo. Et quidem primum finge, quandam cupiditate
armarioli possessionem adquirendi compusus, aedes alienas ingressum
esse, vt rem, quam modo licto sibi comparare non potuerat, furto
rapere. Res multo pretiosiores circumiacent, et domino absente, vt
adimantur, quasi inuitant; sed ad armariolum illud exoptatum ad-
tractus, reliqua bona, quae aedes semel ingressus sine omni fere opera
adimere potuisset, contemnens, id tantum auferit, quin argentinum for-
tasse in eo depositum eximit, dominoque relinquit. At vero, do-
mum redux, scrutinio illo accurate perspecto, in loco eius occulto
summam centum thalerorum inuenit. Quid putas? Num ille fur
tanquam triginta thalerorum, quod pretium scrutini sit, an centum
et triginta thalerorum raptor sit puniendus? Quam questionem non
vno eodemque modo decidendam, sed, quomodo post factum per-
petratum fur se se gesserit, respiciendum esse, censeo. Vel enim

pecuniam, se inuitu in scrutinio inuentam, domino nomine tecto sponte restituit, vel timore, ne furtum restitutione facta detegatur, arctos, nec statim restituit, nec pecuniam sibi arrogat, sed eo consilio custodit, ut aut ipse occasione oblata domino reddat, aut saltim restitutio ab herede fiat, cui eam in testamento iniungit, vel denique laetus opimam praedam sibi vindicat, atque in suum usum vertit. Rem statim restituentem tantummodo furti triginta thalerorum accusari posse, vix dubium est. Hunc enim neque ab initio aliud furtum intendisse, neque criminis postea se immiscuisse, exinde, quod ablutione iam facta, occasionem bona adaugendi spernens, timore, crimen per restitutionem facilius detectum iri, superato, pecuniam domino nihilominus redderet, luculentissime appetet. Non igitur video, quid furi intuitu illorum centum imputari possit. Altera ratio delictum imputandi, dolus, non adest, altera, scilicet culpa, in furtu, quod semper animum lucri faciendi supponit, occurtere nequit; *) et ipsum corpus delicti, dolosa ablatio, desicit. Nec etiam furem, pecuniam neque restituentem, neque in suum usum vertentem, poena, qua centum et triginta thalerorum raptiores coegerentur, iure afficimus. Eadem scire rationes decidendi, quae in casu antea proposito, hic itidem occurunt. Attamen poena grauiori, pecuniam reuera reddente, merito delictum luit. Quo enim iure cum, qui rem alienam inuentam retinuit, puniamus, eodem quoque iure, quin multo ma-

*) ENGELHARD quidem in Versuch eines allgem. peinl. Rechts, §. 292 contendit, furtum quoque culposum cogitari posse, si quis v.g. absque voluntate, cum res suas in unum colligat, fortuito etiam alienas atripiatis, ast quis hic delictum cogitabit?

iori, nostrum forem coērcēmus. In furto enim, quod inuentionis vocant, negligentia quaedam possessoris rei iuuentae plerumque praecedit; qui vero, re furto ablata, aliam maioris pretii, priori inclusam, quamquam inuitus repererit, inuentionis ac illictiae retentionis sibi met ipsi occasionem dedit, eundemque poena grauior discat, crimen semel commissum saepissime ad se trahere noua delicta. Qui denique pecuniam in scrutinio depositam sibi arrogat, ac nulla opera, ut domino restituatur, data, in suum usum reuera vertit, hunc ablationis centum et triginta thalerorum accuso. Per ipsam enim versionem illius criminis se reum facit, atque demonstrat, occasione forte suppeditata persicile ad noua delicta protractum iri; qua de causa poenis severioribus eius voluntas legibus contraria est coērcenda. Neque quid deest, quod leges in poena definienda supposuerunt, et cur delictum pro consummato haberi nequeat. Nam, quamvis quidem pecuniam ab initio rapere noluerit, eam tamen postea rapuit, et ex eo momento delictum consummauit. At vero nihilominus hic quoque rationem poenam ordinariam mitigandi obuenire, non est negandum. In fure enim aedes alienas iuadente, ut, quicquid auferre possit, eripiat, dolus ex proposito, in nostro autem fore, quoad illos centum, tantummodo dolus incidens, securitati publicae minus periculosus, occurrit. Sed rarissime huiusmodi exempla sunt diiudicanda. Plerumque potius audi fures, queaque adimere possint, diligenter auferre student. Quo facto, cum de furum intentione raro satis constet, atque iudici ex factis tantum externis ad gradum dolii delinquentis concludere liceat, in poena definienda pretii rerum ablatarum rationem habere solent. Quid vero, si certissime appareat, furem

forem quantitatem multo maiorem auferre voluisse, et errore solummodo in ipsa re furtiva ductum minus eripuisse? Exemplum animi mei sententiam perillustret. Fur quidam expertus, alterum centum thaleros heri accepisse, eius aedes animo argentum illud furandi, inuidit, ut vincula euitet et creditoribus urgentibus satisfaciat. De his omnibus ex propria furis confessione aliisque indicis indubitate constat. Esringit scrutinium, exoptatae receptaculum praedae, videtque duo pecuniae volumina, quorum alteri inscriptum est: insunt centum thaleri; alteri autem: insunt nummi memoriales flannei. Fur trepidus, ne a domino e domino excitato in flagrante delicto opprimatur, repente arripit prius volumen, atque alterum, sicuti rem inutilem furtoque indignam relinquit. Sed eheu! Domum redux pecuniam ablatam numeraturus, nummos flanneos rapuisse sentit, inscriptionibus a domino vel ex errore, vel ut fures callidos decipiatur, communitatis. Iam crimen inquiritur, omnes circumstantiae delictum concomitantes actis inseruntur, quae, pretio flanneorum nummorum duobus thaleris ab artis peritis aestimato, ad dicasterium, ut sententia feratur, mittuntur. Quaenam poena huic furi est inferenda; an ea, quae duorum thalerorum, an ea, quae centum thalerorum furto imminent? Nonnulli quidem, et praecipue recentiores iuris criminalis DD. contendunt, poena delicti grauioris furem esse coercendum, quod in modo puniendi ad solum delinquentis dolum, quatenus de eo dubitari nequeat, sit respiciendum, non autem ad euentum delicti fortuium, qui, ex libero rei arbitrio non pendens, ad eius *externam ciuillem immoralitatem* nullam vim habeat; quod si ex principiis iuris criminalis vniuersalibus affirment, vix negare ausim, sin vero, secun-

C

dum leges nostras furem illum poena furti magni ordinaria coercendum esse, contendant, iis non assentior. Leges enim, vel potius legum criminalium analogia, ob delictum attentatum aut inchoatum, ut poena consummati ordinaria reo iniungatur, haud permittunt, unde, rei ablatione ad furti consummationem necessaria, hic plane deficiente, ad pretium rerum, quas quis rapere voluit, non respiciendum, sed pretium rerum reuera ablatarum computandum est; quamvis non negem, reum, ob has circumstantias delictum aggrauantes, poena paululum ordinaria grauiori iusto affici. Alia adhuc eiusmodi exempla cogitari possunt, et inter ingentem delictorum numerum, quae quotidie inquiruntur, profecto obueniunt; sed ad ea, quae vbius proposuimus, relata, facile erunt diiudicanda.

§. 7.

Quomodo pretium furto a pluribus commisso correis imputetur?

Hactenus pretium rerum furto ablatarum considerauimus, quatenus unus vel alter, cui tota eius summa soli imputatur, huius criminis se reum fecerit. Cum vero saepissime plures delicti socii ad res coniunctis viribus eripiendas concurrant, quid tunc intuitu pretii iuribus contentaneum sit, iamiam examini subiiciamus. Iure Romano, quod laeso actionem in duplum vel quadruplum contra furem concedebat, quilibet correus in solidum obligabatur,¹⁾ beneficio divisionis indignus. Quod preeceptum, delinquentes nempe beneficiis iuris indignos esse,

1) L. 1. proem. C. de condit. furt. L. 21. §. 9. D. de furtis. L. 51. in proem. et §. 1. D. ad Leg. Aquil.

hodie adhuc defendantes, recte quoque contendimus, quod satiationem priuatam laesum contra quemlibet delicti socium in solidum iuste acturum esse. At vero, intuitu poenae publicae correis infligendae, leges nostrae aliud statuunt, et, quemlibet eorum, non totius rerum omnium eruptarum pretii poena, coercendum, sed illud inter plures diuidendum esse, disponunt. Et quidem in Constitutionibus nostris Electoralibus ²⁾ legimus: *si plures simul furentur, et res furtiva omnes valorem quidem quinque Hungaricorum optimorum excedant, singulorum vero portiones eam summam non exaequent, omnes non laqueo puniendos, sed fustigatos seu virgis caesos relegandos esse.* Vnde interpretes harum Constitutionum collegerunt, furto magno a pluribus commisso, ne illum quidem, qui, divisione inaequali facta, ultra quinque aureos accepisset, ultimo suppicio coercendum esse, dummodo portio, turpi lucro inter correos aequaliter diviso, illi ad crescens, hanc summam non excessisset. Proportionem enim arithmeticam obseruandam, sive ut aliis verbis vtar, non concernendum esse, quod unus vel alter accepterit, sed quod secundum numerum personarum percipere potuisse, siquidem augmentum alteri forte comparatum non ex furto, sed ex donatione socii sui lucretur. ³⁾ Quae omnia, quamvis satis recta ac vera, nonnulla tamen dubia, imprimis hodie intuitu furti a pluribus commissi, obvia, non remouent. Quaeritur enim, vtrum illa Con-

C 2

2) Constit. Elector. 32. p. 4. §. Und wo ihr viele zugleich stehlen.

3) CARPOVII Praef. Rer. Criminal. P. 2. Quæst. 78. n. 39 fqq. Idem in Definit. Forens. ad Const. Elect. 32. p. 4. D. 13. BERGERI Oecon. Iur. Lib. 3. Tit. 9. thes. 7. not. 4.

stitutionis Electoralis paragraphus, poena capitali in furto simplici per
 usum fori sublata, auctoritatem adhuc habeat, nec ne, utrum nempe,
 furto viginti thalerorum a duobus sociis commisso, quorum alter tre-
 decim, alter septem tantum divisione facta, accepit, prior octo an-
 quatuor annorum ergastulo sit puniendus. Hic iterum quoque, sen-
 tentiam mitiorem feueriori praeserendam esse, arbitror, hancque sen-
 tentiam in ipsa Constitutione iam fundatam esse, affirmo. Fortasse
 quidem mihi aliquis opponat, dispositionem illam, in odium poenae
 capitalis tantum introductam, ob specialem legis rationem ad poenas
 leuiores non esse extendendam; sed etiamsi mittam, priuationem liber-
 tatis morti fere aequiparandam, immo saepenumero morte durio-
 rem esse, omnino tamen non concedo, dispositionem specialem esse,
 sed generalem contendeo. Legislator enim in uniuersum disposuit,
 in furto a pluribus commisso, non ad id respiciendum esse, quod
 quis divisione inaequali facta reuera perceperit, sed ad id, quod rebus
 erexit, secundum numerum furum aequaliter diuisis, accipere po-
 tutisset. Hoc autem praeceptum tam generale est, vt ad omnia furtarum
 a pluribus commissa, nullo respectu ad poenam habito, merito exten-
 datur. Verum quidem est, Constitutionis nostrae paragraphum in-
 tuitu poenae correis inferendae non distinxisse, utrum portio singulo-
 rum dimidiā partem quinque solidorum excedat, nec ne, ideoque
 secundum eam, furēs, etiamsi divisione aequali facta, infra dimidiā
 partem quinque solidorum acceperissent, nihilominus cum fustigatione
 in perpetuum relegandos videri posse, atque ex his omnibus conclu-
 dendum esse, constitutionem non tam generaliter disposuisse, vt sem-
 per, furto a pluribus commisso, proportio arithmeticā sit seruanda.

At vero, CARPOVIO iam monente, hacc paragraphus ex praecedente⁴⁾ restringi et explicari debet, atque ob aequalitatem rationis concludere licet, legislatorem, qui singulos, furtum infra dimidiam partem quinque solidorum committentes, poena fustigatione ac relegatione mitiori affici voluerit, etiam plures correos, qui, divisione aequa-
liter instituta, maius lucrum adquirere non potuissent, graviori poena coerceri non voluisse; quo factio regula nostra, iam per usum sorti approbata, ex legum quoque indole satis firma. Nec quoque iusta ratione caret. Cum enim plures socii aequalem lucri ex delicto percepit portionem a se inuicem petere possint, maius lucrum, quod unus vel alter acceperit, tanquam donum ab reliquis alteri datum est considerandum. Sicuti autem is quoque, qui rem furto ablatam alteri dono dedit, poena delicti ordinaria, si animum lucri faciendi ha-
buerit, coercetur, ita quoque socio ipsi, partem portionis suae alteri cedenti, haec pars imputatur. Quibus omnibus, si regulam et iuris et aequitatis supra iam adductam, poenas nempe interpretatione le-
gum magis mollierendas quam asperandas esse, addas, facile mihi con-

4) vbi legitur: Ferner da der erste oder andere Diebstahl unter fünf gu-
ter Ungarischer Gulden, und doch über den halben Theil derselbi-
gen würdig, so soll und mag der Dieb mit Staupenschlägen verwie-
sen werden. Ist aber der erste und andere Diebstahl geringsschätzig
und unter dritthalben ungarischen Gulden, so mag und soll derselbe
mit Gefängnis oder zeitlicher Verweisung nach Gelegenheit der Per-
sonen gestrafft werden.

cedes, semper modum a nobis expositum, in poena furti a pluribus
commissi definienda esse obseruandum. Caeterum quae dicta sunt,
tantummodo valent de sociis aequalibus. Ratione enim socrorum
delicti inaequalium, non ad rerum ablatarum, sed ad lucri ab hoc
vel illo percepti quantitatem respicitur, secundum quam, eodem mo-
do pretium computandi, quo in fures vere tales vtimur, obseruato, et
poena definitur et restitutio praeflatur.⁵⁾ Coronidis loco huius para-
graphi, vnicum easum enarrare licet, qui, quamvis potius ad disqui-
sitionem pertineat, quatenus ob restitutionem rerum furto ablatarum
poena mitigeretur, de quo alio loco differere nobis proposuimus, ob
doctrinac tamen adfinitatem non incommodate hic locum occupat.
Duo nempe mille thaleros rapuerunt, quorum alter, centum thaleris
interea receptis, ut poenam evitet, ausugit, alter vero inquisitioni
subiectus est. Crimen mox confessus octingentos thaleros, qui ex
bonis eruptis adhuc extabant, restituit. Nihilominus vero Ill. Facul-
tas Vitebergensis et Lipsiensis reo poenam decem annorum ergastuli in-
iunxerunt, nec restitutionem octingentorum thalerorum, quamvis, diui-
sione aequali facta, quingenti cuiilibet tantum accreverint, tanquam
iustam poenae mitigandae causam censuerunt, et quidem hac ratione ad
ducla, inter correos adhuc communionem bonorum extitisse, hincque
restitutionem non restituenti, sed utrique correo fuisse imputandum.⁶⁾

5) Rescript. Reg. d. d. 17. Febr. 1721.

6) Ita Facultas Viteberg. Ill. mense Iulio, et Lipsiens. mense Septbr. 1795
in causa Mülleri pronunciarunt.

§. 8.

*Quando premium rerum furto ablatarum per artisperitos
eruatur?*

Norma, ad quale rerum furtuarum pretium sit respiciendum, et quomodo inter plures diuidatur, exposita, nunc quoque ad duplicum modum, quo illud eruitur, perueniamus, atque quod partim de artisperitorum, partim de ipsis lacisi aestimatione iuratoria sit obseruandum, in hac et sequenti paragrapho videamus. Regula, quam multi DD.¹⁾ proponunt, eo quidem tendit, ut, quoties res furtuae adhuc extent, artisperiti sint adhibendi, si minus, aestimatio iuratoria a domino alioue facta sufficiat; quae tamen regula omnibus quaestioni- bus hic obuenientibus non respondere videtur. Saepe enim res furtuae in natura quidem, sed post furtum commissum per usum et ab- usum ad eam conditionem redactae, extant, quarum pretium pristinum ab artisperitis non amplius erui queat. Quid autem iuuat, artisperitos de pretio rei praesenti deposuisse, cum nihilominus laetus ad aestimationem iuratoriam prioris pretii sit admittendus? Quae cum ita sint, regula ita esse videtur mutanda: Quoties pretium, quod res furti tempore commissi habet, per artisperitos erui potest, toties ei sunt adhibendi, quoties autem hoc fieri nequit, toties ad aestimatio- nem iuroriam, medium probandi subsidiarium, refugere licet. Non solum autem artisperiti pretium iusto modo aestimare possunt, rebus apud furem adhuc repertis, sed etiam interdum iis non recuperatis,

1) BERGERI Elest. Iurisprud. crimin. p. 45. DE BOEHMER ad art. 160. §. 5.
PWEITMANN §. 425.

aut plane consumptis. Si enim res a duobus opificibus confecta, mihi que heri tradita, hodie furto ablata est, magis ad veritatem eruendam iuuabit, si iudex, re licet extincta, illorum artisperitorum arbitrium de vero eius pretio requirat, ac si laesum ad iuramentum admittat, qui facile rem tanti aestimaturus sit, quanti iusto pretio non conueniat. Immo interdum quoque, re deterius existente, artisperitorum arbitrium non esse spernendum, concedo, modo pretii tempore furti consummati rei inherentis certam notitiam habeant. At enim vero nostram regulam a iudicibus non semper obseruari, nec secundum usum fori sub poena nullitatis obseruandam esse, experientia docet. Quamquam enim omnes conspirant, aestimationem iuratoriai remedii extraordinarii et subsidiarii annumerandam,²⁾ et, pretio rerum furto ablatarum, tum per artisperitos, tum per iuramentum eruto, illorum depositionem in poena definienda huic esse preferendam, nisi laesus rem post delictum perpetratum ad deteriorem conditionem redactam esse, probauerit; nihilominus tamen aestimatione iuratoria, a iudice inferiori semel electa, artisperitorum arbitrium praeterea non requiritur, nec etiam iudicis vitium poenam furis ordinariam excludit. Quid numerum artisperitorum in rebus aestimandis adhibendorum attinet, ex arbitrio quidem iudicis pendet; at vero duabus saltim aut tribus ut aestimationem demandet, prudentia suadet, vni non, quia facile, vel ex ignorantia vel studio partium cœcatus, falsum dicere possit pretium, pluribus regulariter non, ne expen-

²⁾ BERGER l. c. et in Oecon. Iur. Lib. 3. tit. 9. th. 7. KRESS Comment.
ad C. C. C. art. 160. §. 2.

expensae inquisitioni impendendae nimis cumulantur. Antequam vero ad res aestimandas admittantur; iuriandum ut praestent necesse est, nisi forte iamiam iuramento generali ad tales actus rite peragendos obstricti sint, quod praeiuia admonitione in memoriam est reuocandum.³⁾ Pluribus vero ad aestimationem conuocatis, in pretio rerum furtuarum singularum diiudicando, (in viuierum enim aestimatio die Schätzung über Bausch und Bogen non admittitur), dissentientibus, quaestio occurrit, quodnam arbitrium sit praferendum. Triplex sententia, nulla omnibus rationibus deslituta, defendi potest. Aut enim minimum modo pretium argumento L. 42. D. de poenis et C. 49. de Reg. Iur. in 6to attendendum, aut, vt in causis ciuilibus sieri solet, ex omnia medium eligendum, aut denique ad plurima vota in poena reo inferenda respiciendum esse contenditur. Quid usu fori sit receptum, profecto nescio; quicquid autem sit, posterior sententia mihi videtur amplectenda. Siue enim primam siue secundam sequaris, poenam plus iusto viuis arbitrio relinquas, qui officiorum suorum immemor, aut errans, poenam vel nimis augere, vel nimis diminuere potest; unde omnibus primum vocatis inter se dissentientibus, aliorum adhuc arbitrium expetere consultius esse videtur, donec de vero rei pretio satis constet. Reipublicae enim interest, vt reus iustam delicti poenam nec grauiorem, nec leniorem luat, nec leges Iuris Roman. et Canonici adductae tam late patent, vt media ad veritatem delicti eruendam necessaria negligantur. Vbi vero legibus per usum fori nondum derogatis furtum magnum ultimo supplicio adhuc coercetur, et de eo inter artisperitos dubitatur, furtum paruum recte

3) WERNHER P. 9. obs. 71.

praesumitur.⁴⁾ In delicto enim capitali, ut supra iam monuimus, minimum quoque de corporis delicti certitudine dubium poenam ordinariam excludit, secundum regulam, iuribus æque ac humanitati conuenientem, qua melius est, decem fontes impune discedere, quam unicum insolentem puniri.

§. 9.

Quid de aestimatione iuratoria a laeso facta statuendum sit?

Si vero per artisperitorum arbitrium iustum rerum furto ablatarum pretium erui nequeat, nil reliquum est, nisi ut dominus alias in interdum ad iuramentum in item admittatur.⁵⁾ Quae via veritatem eruendi, quo maioribus difficultatibus laborat, eo cautius a judice est ingredienda, ne laesum ad periurium quasi inquiet. Secundum Ius commune magna Ictorum lis fait, num hic modus veritatem eruendi, imprimis in furto magno, iustus ac in legibus sit fundatus. Qui rem affirmant, ad L. si quando C. unde vi et ad Articulum CCVIII. C. C. C. provocant, in quibus tamen legibus de rei ablatae restitutio ne, poenae nulla ratione habita, sermonem esse, facile in oculos incurrit; nihilominus, tamen eorum sententia præualuit, et in foro iam olim irrepit. Poena capitali tandem in foris Saxonicas ob fur tum simplex commissum, exulante, legislator, aestimationem iurato-

4) QVISTORP §. 354. SCHAREF. Conf. 64. MANTZEL D. de consil. articum. DE BOEHMER l. c. §. 7.

5) Plura hac de re, nec non scriptores, qui huic quaestioni operam dede runt, inueniuntur in ECKARDTI Progr. alleg. p. 9 fqq.

riam rerum laeso ablatarum approbavit,²⁾ ita, ut illa rite peracta, nullum dubium de corpore delicti supersit, nec tamen cautiones in ea adhibendas suscitat. Iudex igitur primum eo respicere debet, ut laesus res singulas aestimet, earumque conditionem accurate describat, adiecit quoque rationibus, cur rem tanti pretii esse putet. Quodsi obseruetur, non solum laesus, metuens, ne mendacii conuincatur, de liberato animo ad rem accedit, sed etiam iudex verum rei pretium probabilitate dijudicare, et ipsis iuranti, omnia accurate et diligenter perpendendi, hoc vel illo argumenti adducto, occasionem suppeditare poterit. Deinde quoque iudicis officium est, ut accurate inquirat in laesi vitam, famam ac conditionem, atque omnia, quae forte in sententia ferenda spectanda sint, actis inserat, vnde, si fur pretium iuramento affirmatum neget, saepissime rationes poenam ordinariam saltim mitigandi fluere possint. Nec porro a iudice permitendum est, ut spoliatus ira adhuc trepidus hoc iuramentum praeficeret, et ex odio in furem vel errore vincibili, damnum illatum iuslo maioris aestimat, atque periurium committat; nonnullorum potius dierum spatium delabi sinat, ut animus laesi tranquillus redeat, isque damnum percessum accuratius perscrutari possit. Denique iudex, si quidam assint, qui aequalem vel meliorem veri rei ablatae pretii notitiam habeant, ipsis laeso praferat, eosque loco illius iurare sinat.³⁾ Sicut autem contra iusiurandum in litem contrarii probatio admittitur, ita etiam furi nullo modo est deneganda, qua peracta ex iudicis arbitrio

2) Generale vom Verfahren in Untersuchungsfache de ao. 1783. §. 1.

3) quod omnino in iudicis arbitrio positum est. PWTTMANN §. 426.
HOMMELLI D. de furto magno eiusque poena, (Lipf. 1747).

pendebit, quae argumenta probabiliora sint censenda an laesii.
 Priusquam nostrae disputationis finem faciamus, nonnulla adhuc de
 quaestione: vtrum nempe dominus ad aestimationem iuratoriam cogi
 possit, an non, addere liceat. CARPOVIVS ⁴⁾ putat, dominum, si
 de pretio et aestimatione rei furto ablatae iurare nolit, non cogi posse;
 quo in casu vero furem suppicio laquei non mancipandum, sed vir-
 gis caesum in perpetuum relegandum esse. Et quidem recte ex sui
 temporis moribus. Partim enim res ad poenam capitalem infligendam
 necessaria, laesii nempe iuramentum voluntarium deest, partim quo-
 que laetus, qui pretium rerum ablatarum iuramento assuerare dene-
 gat, omnino transfigere videtur; ob transactionem autem inter furem
 et laesum initam, iam tunc temporis, eodem CARPOVIO ⁵⁾ monente,
 poena capitalis remitti solebat. Eadem quoque sententiam HOMME-
 LIVS ⁶⁾ amplectitur, et prouocat ad C. C. C. Art. 214. cui inscribitur:
*Dass niemand zu klagen soll genöthigt werden, et ad Speculum Saxonicum
 Libr. 2. art. 60. vbi: Es mag ein jeder seinen Schaden verschweigen, wenn
 er will, legitur; nec non ad Tit. Codic. et nemo iniurias agere vel accu-
 sare teneatur, ex quibus colligit, laesum non iure ad iuramentum cogi.*
 Cum vero reipublicae quam maxime intersit, ut fur inquisitioni
 subiectus iustam delicti commissi poenam luat, haec autem, nisi de
 pretio rerum ablatarum constet, definiti nequeat, ylus fori Saxonius
 hodiernus illam HOMMELII opinionem reliquit. Hinc, si ad senten-
 tiā definitiū ferendā, assueratio pretii iuratoria necessario requiri-
 tur, nec laetus iustas causas, cur iurare nolit, asterat, pronuntiari
 solet: *Dass derselbe bey weiterer Verweigerung zur eydlichen Eröffnung
 seiner von dem Eigenthum der gestohlenen Sache und deren Werth habenden
 Wissenschafte von der Obrigkeit durch gehörige Zwangsmittel anzuhalten sey.*

4) ad Conſt. Elecſ. 32. p. 4. definit. 6. et in Praſt. rer. crim. P. 2.
 qv. 78. §. 64. 5) ad Conſt. Elecſ. 32. def. 18. 6) Obs. 279.

Wittenberg, Diss., 1796-98



S6.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



26
DE
PRETIO RERVM FVRTO ABLATARVM
RITE CONSTITVENDO
1798 3
DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA
QVAM
PRO SVMMIS
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQUENDIS
SINE PRAESIDE
QVAE EST
SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS GRATIA
DIE XXVI. NOVEMBR. MDCCCLXXXVIII
H. L. Q. C
PVBLICE DEFENSVRVS EST
AVCTOR ET RESPONDENS
CAROLVS KLIEN
IVRIVM CANDIDATVS ET NOTARIUS PVBLICVS CAESAREVS
IMMATRICVLATVS
VITEBERGAE
LITERIS TZSCHIEDRICHII